Cap. XLI

Restaurat templum et describit illius structuram et ornatum.

1 Et introduxit me ad templum, et mensus est ostia templi quinque cubitorum hinc, et quinque cubitorum inde, latitudinem tabernaculi.

2 Et latitudo introitus decem cubitorum, et latera introitus quinque cubitorum hinc et quinque cubitorum inde: et mensus est longitudinem eius quadraginta cubitorum, et latitudinem viginti cubitorum.

3 Et ingressus est interiora templi, et mensus est ostium unius cubiti, et altitudinem ostii septem cubitorum, et latitudinem ostii decem cubitorum, et latitudinem lateris quod erat ex hac parte et ex illa parte quinque cubitorum.

4 Et mensus est longitudinem eius viginti cubitorum, et latitudinem viginti cubitorum contra templum: et dixit ad me: Hoc est sanctum sanctorum.

5 Et mensus est parietem domus sex cubitorum, et latitudinem lateris quinque cubitorum per circuitum domus ex omni parte.

6 Et latera lateris per latera quadraginta, et ingressa sunt in parietem domus ad latera per circuitum, ut haberent fulcimenta, et non fulcirent parietem domus.

7 Et latera lateris per latera quadraginta, et ingressa sunt in parietem domus ad latera per circuitum, ut haberent fulcimenta, et non fulcirent parietem domus.

8 Et vidi per circuitum domus excelsa fundamenta lateris: plena erant latera lateris mensura arundinis sex cubitorum.

9 Latitudo lateris quinque cubitorum, et quod relictum erat pavimentum domus ad latera templi.

10 Et inter ea latitudo viginti cubitorum per circuitum domus ex omni parte.

11 Et ostia lateris ad pavimentum relictum, ostium unum ad aquilonem, et ostium unum ad meridiem: et latitudo pavimenti relicti quinque cubitorum per circuitum.

12 Et ædificium quod erat ante faciem separationis ad latus occidentale, latitudo septuaginta cubitorum, et murus ædificii quinque cubitorum latitudinis per circuitum, et longitudo eius nonaginta cubitorum.

13 Et mensus est domum longitudinem centum cubitorum: et separationem et ædificium et parietes eius longitudinem centum cubitorum.

14 Et latitudinem faciei domus et separationis contra orientem centum cubitorum.

15 Et mensus est longitudinem ædificii contra faciem separationis, quæ erat post tergum eius, et porticus eius hinc et inde centum cubitorum: templum interius, et vestibula atrii,

16 Et superliminaria, et fenestras obstructiles, et circumcirca porticus tres contra tres, juxta limen, et usque ad fenestras: fenestræ autem operiebantur.

17 Et super ostium usque ad domum interiorem, et foris, et per omnem parietem per circuitum interius et exterius mensura.

18 Et fabricatum erat cherubim et palma: et palma inter cherub et cherub, et cherub habebat duas facies.

19 Facies hominis ad palmam hinc, et facies leonis ad palmam inde: fabricata erat per omnem domum per circuitum.

20 A terra usque ad superliminaria cherubim et palmæ fabricatæ erant in pariete templi.

21 Postes quadri templi, et ante faciem sanctuarii aspectus quasi aspectus visionis quam vidi ad introitum templi.

22 Altare ligneum altitudo trium cubitorum, et longitudo eius duorum cubitorum: et anguli eius, et longitudo eius, et parietes eius ligneus: et locutus est ad me: Hæc est mensa quæ est coram Domino.

23 Et templum et sanctuarium habebant ostia duo.

24 Et ostia templi duo versatilia, duo versatilia: duo ostia ad unum, et duo ostia ad unum.

25 Et fabricatum erat in eis, in ostiis templi cherubim et palmæ, sicut fabricata erant in parietibus: et crassi postes ante faciem porticus foris.

26 Et fenestræ obstructiles, et palmæ hinc et inde ad latera porticus, et ædificia templi, et superliminaria.

Cap. XLII

Describit cellas templi et ornatum earum.

1 Et eduxit me in atrium exterius viam ad aquilonem: et introduxit me in cellam quæ erat ante faciem separationis, et quæ erat ante faciem ædificii ad aquilonem.

2 Ante faciem ostii longitudinis centum cubitorum latitudo quinquaginta cubitorum.

3 Contra viginti cubitos qui erant in atrio interiori, et contra pavimentum quod erat in atrio exteriori, porticus contra porticum in tribus ordinibus.

4 Et ante cellas ambulatio decem cubitorum latitudinis ad interiora, via cubiti una: et ostia eorum ad aquilonem.

5 Cellæ autem superiores breviores erant, quia prohibebant porticus istas, quam cellas inferiores et humiliores ædificii.

6 Tres enim erant, et non habebant columnas sicut columnæ atrii: propter hoc augebatur ædificium a terra præ cellis inferioribus et humilioribus.

7 Et paries qui erat foris contra cellas, via ad faciem cellarum, via cubitorum quinquaginta.

8 Quia longitudo cellarum quæ erant in atrio, quinquaginta cubitorum: et ecce contra templum centum cubitorum.

9 Et a subtus cellarum istarum ingressus ab oriente, quando intratur eas de atrio exteriori.

10 In latitudine parietis atrii ad orientem contra separationem, et contra ædificium cellæ.

11 Et via ante faciem earum secundum aspectum cellarum quæ erant ad aquilonem, secundum longitudinem earum sic latitudo earum, et omnes exitus earum secundum dispositiones suas, et secundum ostia sua.

12 Et secundum ostia cellarum quæ erant ad meridiem, ostium in capite viæ, via recta ante parietem orientalem ingredientibus eas.

13 Et dixit ad me: Cellæ aquilonares, cellæ meridianæ, quæ sunt ante faciem separationis, ipsæ cellæ sanctificationis, ubi comedent sacerdotes qui appropinquant ad Dominum sanctificata sanctificatorum, et sanctificata sanctificatorum, et sacrificium pro delicto, et pro peccato: locus enim sanctificationis est.

14 Cum ingressi fuerint sacerdotes, non egredientur de sanctificatione in atrium exterius: sed ibi deponent vestimenta sua in quibus ministrant, quia sanctificata sunt: et induentur vestimentis aliis, et sic accedent ad ea quæ sunt populi.

15 Et complevit mensurans domum interiorem: et eduxit me per viam portæ quæ respicit ad orientem, et mensus est eam per circuitum.

16 Mensus est ventum orientalem in arundine mensurationis per circuitum, quingentas arundines arundine mensurationis per circuitum.

17 Mensus est ventum aquilonarem, mensura quingentarum arundinum arundine mensurationis per circuitum.

18 Ventum meridianum mensus est, mensura quingentarum arundinum arundine mensurationis.

19 Et circuivit ad ventum occidentalem, et mensus est mensura quingentarum arundinum arundine mensurationis.

20 Per quatuor ventos mensus est eam: habebat murum per circuitum, longitudinis quingentarum arundinum, et latitudinis quingentarum arundinum, ad dividendum inter sanctificata et profana.

Cap. XLIII

Videt gloriam Dei, et templum, et altare.

1 Et introduxit me ad portam quæ respicit ad viam orientalem.

2 Et ecce gloria Dei Israel veniebat ab oriente, et sonus quasi sonus aquarum multarum, et terra splendebat a gloria ejus.

3 Et visio quam vidi secundum visionem quam vidi cum ingrederetur civitatem, et visiones currus mei: et cecidi super faciem meam.

4 Et gloria Domini ingressa est templum per viam portæ quæ respicit ad orientem.

5 Et elevavit me spiritus, et introduxit me in atrium interius: et ecce repletum erat templum gloria Domini.

6 Et audivi loquentem ad me de templo, et vir stabat juxta me.

7 Et dixit ad me: Fili hominis, locus solii mei, et locus vestigiorum pedum meorum, ubi habitabo in medio filiorum Israel in sempiternum: et non polluent ultra domus Israel nomen sanctum meum, ipsi et reges eorum, in fornicationibus suis, et in cadaveribus regum eorum in excelsis suis.

8 In eo quod posuerunt limen suum juxta limen meum, et postes suos juxta postes meos, et erat paries inter me et eos: et polluerunt nomen sanctum meum in abominationibus suis quæ fecerunt, et consumpsi eos in furore meo.

9 Nunc ergo auferant fornicationem suam, et cadavera regum suorum a me, et habitabo in medio eorum in sempiternum.

10 Tu autem fili hominis ostende domui Israel templum, et confundantur ab iniquitatibus suis, et metiantur fabricam.

11 Et si erubescent ab omnibus quæ fecerunt, figuram templi et dispositionem ejus, et egressus et introitus ejus, et omnes formas ejus, et universa præcepta ejus, et omnes ritus ejus, et omnia jura ejus ostende eis, et scribe coram oculis eorum: et custodient omnem formam ejus, et omnia præcepta ejus, et facient ea.

12 Hæc est lex templi: super montem in circuitu omnis terminus ejus in circuitu sanctificatorum sanctificatorum. Ecce hæc est lex templi.

13 Et hæc mensuræ altaris in cubito cubiti et palmo: sinus ejus cubitus unus, et latitudo cubitus unus, et labium ejus per circuitum ejus palmo uno: et hæc erit altitudo altaris.

14 A sinu terræ usque ad laminam inferiorem duo cubiti, et latitudo cubitus unus: a lamina minori usque ad laminam majorem quatuor cubiti, et latitudo cubitus unus.

15 Et ariel quatuor cubitorum, et a cornibus ariel ascendentia in altitudine quatuor.

16 Et ariel duodecim longitudinis in duodecim latitudinis, quadrum per quatuor latera sua.

17 Et lamina quatuordecim longitudinis in quatuordecim latitudinis in quatuor lateribus suis: et corona per circuitum ejus dimidii cubiti, et sinus ejus per circuitum cubitus unus: et gradus ejus ad orientem.

18 Et dixit ad me: Fili hominis, hæc dicit Dominus Deus: Hæc sunt judicia altaris in die qui fabricatus fuerit, ut offeratur super eum holocaustum, et effundatur sanguis.

19 Et dabis sacerdotibus levitis qui sunt de semine Sadoc, qui appropinquant ad me, dicit Dominus Deus, ut ministrent mihi, vitulum de armento pro peccato.

20 Et sumes de sanguine ejus, et dabis super quatuor cornua ejus, et super quatuor angulos laminæ, et super coronam per circuitum: et expiabis eum, et mundabis eum.

21 Et tolles vitulum pro peccato, et comburetur in separatione templi foris sanctificationis.

22 Die autem secunda hædum capreæ immaculatum offeres pro peccato: et expiabunt altare, sicut expiaverunt in vitulo.

23 Cum complueris expiationem, offeres vitulum de armento immaculatum, et arietem de grege immaculatum.

24 Et offeres ea coram Domino, et mittent sacerdotes sal super ea, et offerent ea holocaustum Domino.

25 Septem diebus facies hircum pro peccato quotidie: et vitulum de armento, et arietem de grege immaculatos facient.

26 Septem diebus expiabunt altare, et mundabunt illud, et implebunt manum ejus.

27 Et complebunt dies: et die octava, et deinceps faciet sacerdos super altare holocausta vestra, et pacifica vestra: et placabilis ero vobis, dicit Dominus Deus.

Cap. XLIV

Porta orientalis clausa manet. Ingressus principis. Ritus sacerdotum.

1 Et reduxit me ad viam portæ sanctificationis exterioris quæ respicit ad orientem, et erat clausa.

2 Et dixit Dominus ad me: Porta hæc clausa erit, non aperietur, et vir non transibit per eam: quia Dominus Deus Israel ingressus est per eam, et erit clausa principi.

3 Princeps ipse sedebit in ea ut comedat panem coram Domino: per viam vestibuli portæ ingredietur, et per viam ejus egredietur.

4 Et introduxit me per viam portæ aquilonis ante faciem templi: et vidi, et ecce repletum erat templum gloria Domini, et cecidi super faciem meam.

5 Et dixit Dominus ad me: Fili hominis, pone cor tuum, et vide oculis tuis, et auribus tuis audi omnia quæ ego loquor tibi de omnibus ritibus domus Domini, et de omnibus legibus ejus: pone cor tuum in introitu domus, et in omnibus egressibus sanctificationis.

6 Et dices ad exacerbantes domum Israel, hæc dicit Dominus Deus: Multum vobis sit, domus Israel, ex omnibus abominationibus vestris.

7 In eo quod introduxistis filios alienigenas incircumcisos corde, et incircumcisos carne, ut essent in sanctificatione mea, et polluerunt domum meam, et offerebatis panes meos, adipem et sanguinem, et irritum fecerunt pactum meum in omnibus abominationibus vestris.

8 Et non custodistis excubias sanctificationis meæ, et posuistis custodes excubiarum meæ in sanctificationibus meis vobis.

9 Hæc dicit Dominus Deus: Omnis alienigena incircumcisus corde, et incircumcisus carne, et omnis alienigena qui est in medio filiorum Israel, non ingredietur sanctificationem meam.

10 Sed et levitæ qui longe recesserunt a me in errore meo post idola sua, portabunt iniquitatem suam.

11 Et erunt in sanctificationibus meis janitores ad portas domus, et ministri domus: ipsi occident holocaustum et victimam populo, et ipsi stabunt coram eis ad ministrandum eis.

12 Eo quod ministraverint eis super idola sua, et fuerint populo Israel in ruinam iniquitatis, propterea levavi manum meam super eos, dicit Dominus Deus, et portabunt iniquitatem suam.

13 Et non accedent ad me ut sacerdotio fungantur mihi, neque accedent ad omnia sanctificata mea, et sanctificata sanctificatorum: sed portabunt confusionem suam, et abominationes suas quas fecerunt.

14 Et dabo eos custodes excubiarum domus in omni opere ejus, et in omnibus quæ fient in ea.

15 Sacerdotes autem levitæ filii Sadoc, qui custodierunt excubias sanctificationis meæ, cum erraret filii Israel a me, ipsi accedent ad me ut ministrent mihi, et stabunt coram me ut offerant mihi adipem et sanguinem, dicit Dominus Deus.

16 Ipsi introibunt sanctificationem meam, et ipsi accedent ad mensam meam ut ministrent mihi, et custodient excubias meas.

17 Et erit cum ingredientur portas atrii interioris, vestimentis byssinis induentur, et non ascendet super eos lana, neque linum, cum ministrabunt in portis atrii interioris, et intrinsecus.

18 Mitras byssinas habebunt in capitibus suis, et femoralia byssina erunt in lumbis eorum, et non accingent se in sudore.

19 Et cum egredientur in atrium exterius ad populum, exuent vestimenta sua in quibus ministrant, et ponent ea in cellis sanctificationis, et induent se vestimentis aliis, et non sanctificabunt populum in vestibus suis.

20 Caput autem suum non radent, neque comam nutrient, sed tondentes tondebunt capita sua.

21 Et vinum non bibet omnis sacerdos cum introibit atrium interius.

22 Viduam et repudiatam non accipient uxores sibi, sed virgines de semine domus Israel, et viduam quæ fuerit vidua sacerdotis.

23 Et populum meum docebunt discretionem inter sanctificatum et profanum, et inter immundum et mundum ostendent eis.

24 Et in judicio stabunt ad judicandum, secundum judicia mea judicabunt illud: et leges meas et ritus meos in omnibus solemnitatibus meis custodient, et sabbata mea sanctificabunt.

25 Ad mortuum hominis non introibunt, nisi super patrem et matrem, et filium et filiam, fratrem quoque virginem qui non habuerit virum, super eos contaminabuntur.

26 Et post mundationem suam septem dies numerabunt sibi.

27 Et in die qua introierit sanctificationem in atrium interius, ut ministret in sanctificatione sua, offeret pro peccato suo, dicit Dominus Deus.

28 Et erit eis in hæreditatem: ego hæreditas eorum, et possessionem non dabitis eis in Israel: ego possessio eorum.

29 Sacrificium et victimam pro delicto, et pro peccato ipsi comedent, et omne anathema in Israel ipsorum erit.

30 Et primitiæ omnium primogenitorum, et omnis oblatio omnium ex universis oblationibus vestris, sacerdotum erunt: primitias autem arearum vestrarum dabitis sacerdoti, ut requiescere faciat benedictionem super domum vestram.

31 Omnis morticinum et captum a volucribus vel a pecore non comedent sacerdotes.

Cap. XLV

Partitio terræ. Mensura templi. Sacrificia.

1 Et cum sortiemini terram in sortem, primitias separabitis Domino sanctificationem terræ: longitudo vicies millia, et latitudo decem millia: hæc sanctificabitur in omnibus finibus suis per circuitum.

2 Ex hac fient sanctificationi quingenti in quingentis per quadrum per circuitum, et quinquaginta cubitorum suburbium per circuitum.

3 Et de mensura hac mensurabis longitudinem viginti quinque millia, et latitudinem decem millia: et in ea erit sanctificatio sanctificatorum in omnibus finibus suis per circuitum.

4 Sanctificatio terræ sacerdotibus ministris sanctificationis qui appropinquant ad ministrandum Domino: et erit locus domibus eorum, et sanctificatio sanctificationis sanctificatis.

5 Et viginti quinque millia longitudinis, et decem millia latitudinis erunt levitis ministris templi, possessionem habebunt viginti cellas.

6 Et possessionem civitatis dabitis quinque millia latitudinis, et viginti quinque millia longitudinis contra primitias sanctificationis: ipsa erit domui Israel.

7 Et principi ex hac parte et ex illa parte contra primitias sanctificationis, et possessionem civitatis contra faciem primitiarum sanctificationis, et contra faciem possessionis civitatis ad occidentem occidentalem, et ad orientem orientalem: et longitudo contra partem unam a termino occidentali usque ad terminum orientalem.

8 Terra erit ei possessio in Israel: et non opprimet ultra principes populum meum, et terram dimittent domui Israel per tribus suas.

9 Hæc dicit Dominus Deus: Multum vobis sit, principes Israel: auferte iniquitatem et vastitatem, et facite judicium et justitiam, tollite violentias vestras a populo meo, dicit Dominus Deus.

10 Pondera justa habebitis, et ephi justum, et bath justum.

11 Ephi et bath unius mensuræ erunt: ut bath decimam partem homer capiat, et ephi decimam partem homer: ad mensuram homer erit mensura eorum.

12 Et sicli viginti oboli erunt vobis: viginti sicli, et viginti quinque sicli, et quindecim sicli, mina erit vobis.

13 Hæc est oblatio quam offeretis: sextam partem ephi de homer tritici dabitis, et sextam partem ephi de homer hordei dabitis.

14 Et mensura olei bath olei de cor, decem bath, decem enim bath homer: quia homer decem bath.

15 Et agnus unus de grege de ducentis pinguibus de pascuis Israel: ad sacrificium, et ad holocaustum, et ad hostias pacificas, ut placabilis sit eis, dicit Dominus Deus.

16 Omnis populus terræ dabit oblationem hanc principi Israel.

17 Et super principem holocausta, et sacrificium, et libamen in solemnitatibus, et in neomeniis, et in sabbatis, in omnibus solemnitatibus domus Israel: ipse faciet sacrificium pro peccato, et oblationem, et holocaustum, et hostias pacificas ad expiandum pro domo Israel.

18 Hæc dicit Dominus Deus: In primo mense, una mensis, tolles vitulum de armento immaculatum, et expiabis sanctificationem.

19 Et tollet sacerdos de sanguine victimæ pro peccato, et dabit super postes domus, et super quatuor angulos laminæ atrii interioris, et super postes portæ atrii interioris.

20 Et sic facies septima mensis pro unoquoque qui errat, et qui ignorat: et expiabitis domum.

21 In primo mense, quarta decima mensis, erit vobis phase, solemnitas septem dierum: azyma comedetur.

22 Et faciet princeps in die illa pro se, et pro omni populo terræ, vitulum pro peccato.

23 Et septem diebus solemnitatis faciet holocaustum Domino, septem vitulos, et septem arietes immaculatos per septem dies: et hircum pro peccato quotidie.

24 Et sacrificium, ephi unum vitulo, et ephi unum ariete faciet: et de olei hin unum ephi.

25 In mense septimo, quinta decima mensis, in solemnitate, septem dies faciet similiter pro peccato, et holocaustum, et sacrificium, et olei.